

immediate additis, *ne efficiaris ei similis*. Sensus vero posterioris textus est: Responde stulto iuxta meritum stultitiae suae, et modo ad eum redarguendum accommodato. Hinc additur: *Ne sibi sapiens videatur*. Convincendus nimirum est homo imprudens seu stultus solidis rationibus, et gravibus prudentibusque verbis, vel si opus est, etiam verberibus arguendus et castigandus, iuxta illud (1): *Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium*.

38. QUÆRES XI. *Quomodo Salomon* (Prov. 30, v. 2) *de seipso dicere potuerit: Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum: cum tamen* (III. Reg. c. 3, v. 12) *Deus dicat Salomoni: Dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus sit: quin et post lapsum suum Salomon* (Eccl. c. 2, v. 9): *Sapientia quoque perseveravit mecum, de se ipso testetur?* R. Omnis apparens antilogia evanescit, si consideremus, quod verba primi textus proferantur a Salomone (si tamen ea Salomonis sunt) modestiae causa, ut sensus illorum sit: *stultissimus sum*, si quae ex me habeo vel scio, secluso Deo, spectem. Unde mox subdit: *Sapientia hominum non est mecum*, q. d.: Sapientia non est a me humano studio acquisita; sed si quid nactus sum sapientiae, id omne a Deo didici et accepi.

(1) Prov. c. 26, v. 3.

Dixi: *Si tamen haec verba sunt Salomonis*. Nam Menochius cum non paucis aliis contendit, citatum cap. 30. Prov. proprie auctorem habere Agur, cuius tamen dicta Salomon suis adiunxit parabolis, tanquam illis consentientia, et iisdem plane digna. Unde cum ea suis dictis admiscuerit iisdemque subscripserit, merito tanquam Salomonis citantur (2).

39. QUÆRES XII. *Quomodo locus Scripturae* (Prov. c. 31, v. 22) *ubi commendatur valde mulier, quae sibi stragulatam vestem confecerat, et in bysso et purpura incedebat, concilietur cum aliis Scripturae locis* (Luc. c. 16, v. 19) *ubi vituperatur homo dives, qui induebatur purpura et bysso: item* (I. Timoth. c. 2, v. 9), *ubi mulieres ornare se veste pretiosa prohibentur?* R. ss. Lucas et Paulus intelligendi sunt de cultu foeminarum superfluo et immodico, neglectis interim pauperibus, aut aliis officiis probae foeminae. In I. Prov. autem loc. cit. describitur uxor viri nobilis, et senatorii ordinis; quae tamen non omisit munia probae mulieris adimplere, et suam manum large pauperibus aperire: prout ibidem fuse recensetur, ac inter alia expresse dicitur (3): *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes*.

(2) Vide Menochium et Calmetum comment. in Prov. c. 30, v. 1.

(3) Prov. c. 31, v. 19.

SECTIO III.

DE LIBRO ECCLESIASTAE

Illius libri auctor est Salomon, ut in praefatione ad lib. Prov. iam diximus, ac ex ipso Eccl. c. 1, v. 1, patet, ubi dicitur: *Verba Ecclesiastae filii David, regis Ierusalem*. Nullus enim filiorum David fuit rex in Ierusalem, nisi Salomon (1). Porro hic liber videtur scriptus a Salomone post lapsum, et agnitam peccaminosarum voluptatum vanitatem, ut hebraei, s. Hieronymus, et commentatores plerique autumant.

Idem liber hebraice vocatur קהלת *Cohelath*, id est, *congregatrix*. Solent enim hebraei nominibus generis foeminini pro masculinis interdum uti, ad exprimendam magis rei praestantiam et elegantiam. Itaque se congregatricem appellat Salomon, hoc est, elegantem concionatorem, qui ecclesiam seu coetum ad concionem audiendam congregat; graece hic liber dicitur *Ἐκκλησιαστής Ecclesiastes*, id est, *concionator*: nam more propemodum concionatorio de rerum vanitate, aliisque argumentis ad mores formandos idoneis disserit.

40. QUÆRES I. *An Lib. Ecclesiastes merito in canonem sacrorum librorum relatus sit?* R. Affirmative. Id enim constat ex constanti synagogae et ecclesiae consensu de libri huius divinitate; item ex aliis argumentis pro canone sacrorum librorum catholico alibi (2) adductis.

(1) Vide Calmetum praefat. in lib. Ecclesiastis, ubi Grotii, et aliorum negantium, Salomonem esse auctorem libri, falsam opinionem refutat. Eandem opinionem etiam refellit Hermannus Goldhagen in Script. p. 2, sect. 5, § 2, n. 148 et 149.

Quae autem contra theopneustiam seu divinitatem libri Ecclesiastis a quibusdam sectariis, vel incredulis obiici solent, in sequentibus quaestionibus solventur.

41. QUÆRES II. *An Lib. Ecclesiastes faveat epicureis?* R. Negative. Scio quidem, priscos hebraeorum rabbinos in talmude ausos fuisse, Ecclesiastem huiusmodi erroris arguere, ideoque deliberasse de eo penitus repudiando, non alia re absteritos, quam quod et initium, et finis lib. Ecclesiastis legi consentiant; uti videre est tum apud Maimonidem, tum apud s. Hieronymum (3). Haud maiore reverentia de Ecclesiaste opinati sunt veteres quidam haeretici (4) cum Theodoro Mopsuesteno. Iisdem hac in re consentiunt Lutherus, Grotius, alique cum famoso illo impietatis magistro Voltairio (5), qui de Ecclesiaste dicit, mirandum esse, quod iste epicureismum redolens liber canonis sacrorum librorum insertus sit. Sed nempe id factum, ait, eo tempore, quo libri erant perquam rari, et magis admirationi, quam lectioni serviebant. At quaeso, unde Voltairius novit, illo tempore adeo raros fuisse libros? Numquid non ipse Ecclesiastes (6) expresse dicit: *Faciendi plures libros nullus est finis?* Plura contra impiam Voltairii de Ecclesiaste assertionem invenies apud d. abbé Nonnotte (7). Illud

(2) Vide Scripturae s. contra incred. propugn. part. 4, q. 1.

(3) In fine commentarii in ecclesiast.

(4) Vide Philastrum, haeres. 135.

(5) In lexico philos. manuali.

(6) Cap. 12, v. 12.

(7) In lexico philosoph. relig. art. Ecclesiaste.

solum addo, valde paradoxum et absonum videri, quod *Voltairius* ex una parte librum Ecclesiastis tanquam hominis epicurei et materialistae abominetur; ex altera vero parte tamen eundem librum veneficio poëseos suae politum, ac numeris adstrictum gallicis, in lucem emiserit. Si enim hic liber est eiusmodi; si epicureis favet; si incitat ad vitam more bestiarum transigendam, quasi unicus hic sit vitae fructus, ac nullum deinceps virtutis praemium: cur illum vertit in linguam patriam, et innumeris legendum offert?

Ceterum, ut directe ad *Voltairii*, et aliorum paullo ante memoratorum criminationem respondeam, ulterius observo, quod ex ipsa synopsi et scopo libri Ecclesiastis facile colligatur, eius auctorem non sensisse cum epicureis. Nam in eo toto *Salomon* demonstrandum suscipit, in omnibus huius mundi rebus vanitatis plurimum et molestiae esse; unum duntaxat superesse, in quo conquiescere homines possint, timorem Dei scilicet, et mandatorum divinatorum observantiam; his solis obtineri veram beatitudinem. Occurrunt quidem in hoc libro non paucae epicureorum et impiorum opiniones, quibus tamen auctor nunquam adhaeret; alteram vitam agnoscit (1), simul et praemia poenasque post obitum (2): laudibus prosequitur sapientiam, virtutem, iustitiam (3): orationem suam claudens, in eo totam hominis rationem sitam esse ait: si Deum timeat, eiusque praeceptis obsequatur (4).

42. QUÆRES III. An duo auctores

(1) Eccl. c. 11, v. 8 et 9.

(2) Ibid. c. 12, v. 14.

(3) Ibid. c. 4, v. 17, c. 5, v. 1, et seq. c. 7, v. 26 et seq.

(4) Ibid. c. 12, v. 15.

invicem dissidentes librum Ecclesiastis scripserint; vel unus quidem, sed scepticus, qui repugnantia loquitur, et modo ad vitam more belluarum voluptuosam, modo ad virtutem et honestatem homines stimulat? R. Nec duo invicem dissidentes, nec unus a seipso dissidens seu scepticus, sed *Salomon* in hoc libro unum eundemque scopum respiciens, sibi que constans et nequiquam repugnans, istius operis auctor est. Nam, quando in eo videtur modo ad vitam voluptuosam belluarum ritu transigendam (5), modo ad virtutem et honestatem (6), incitare, sicque repugnantia loqui, non reapse a seipso dissidet, nec scepticorum more anceps fluctuat; sed duntaxat dicta illa epicureismum redolentia in persona stultorum et impiorum hominum, non autem ex sententia sua profert, sed ea dicto modo prolata refutat. Facit nimirum, quod facere solent concionatores, qui dum populum salutari doctrina instituunt, saepe impiorum cavillos proponendos sibi et refutandos suscipiunt; vel si mavis, sua *Salomon* prioris vitae perversa sensa hac ratione prodit, et iam poenitens, quam absurda et ridenda olim saperet, simul demonstrat.

DICES I. Cum *Ioanne Clerico*: Non est credibile, spiritum s. voluisse epicureorum sententias cum aliis sapientibus et sanctis effatis ita miscere, ut perdifficile sit distinguere, quae auctor libri per se, quaeque personam agens impiorum loquatur. R. Hoc non est adeo difficile, maxime illis, qui scopum auctoris ob oculos semper habent, ad eumque singula dicta conferunt. Hi e-

(5) Ibid. cap. 2, v. 24, c. 5, v. 22 et alibi.

(6) Ibid. c. 4, v. 17, c. 5, v. 1 et seq. c. 7, v. 26 et seq. c. 11, v. 8 et 9. c. 12, v. 15, et 14.

nim satis intelligent, librum Ecclesiastis veluti perpetuam quandam orationem seu dissertationem unius auctoris esse, varia impiorum argumenta proponentis et refutantis, ac omnia liberius in hoc libro dicta ex initio et fine eiusdem libri diiudicanda esse. Certe qui asserit et repetit, omnia in mundo vanissima esse praeter timorem Dei et mandatorum eius observationem, prout monet Ecclesiastes ab initio et in fine libri, is plane moralem epicureorum doctrinam non tenet. Adde, quod in autographo libri Ecclesiastis sensa impiorum fortassis (imo cl. *Weissenbach* loc. cit. q. 25, id sibi omnino persuasum habet) sic perscripta fuerint, ut subiectae responsiones haberent diversos characteres, aut notarum instar adderentur. Etsi vero sublatum nunc sit hoc discrimen in exemplaribus sacrorum codicum, quos hodie habemus, nemo tamen hucusque hoc libro perversus, multi vero ut se respicerent, adducti sunt. Soli impietatis magistri, eorumque asseclae, qui sacris in libris non remedia scelerum, sed licentiae patrocinium quaerunt, ex propria sua malitia relatis ex libro Ecclesiastis impiorum sententiis flagitiosissimos mores suos et errores tueri volunt.

DICES II. cum *observatoribus halensibus*: Illud scepticorum principium, *nos nihil scire, nec scire posse*, per totum librum Ecclesiastis insinuatur; ergo auctor huius libri videtur fuisse scepticus. Ant. prob. ex illis verbis Ecclesiastis (1): « Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? » Item ex illis (2): « Et intellexi, quod... quanto plus laboraverit homo ad quaerendum,

(1) Cap. 5, v. 21.

(2) Cap. 8, v. 17.

(3) Vide *Calmet* praefat. in Ecclesiastem.

tanto minus inveniatur; etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. » R. I. Ex his et similibus protestantium in Ecclesiastem criticis observationibus patet (3), quam multi eorum sint, qui effata Spiritus s. in libro a veteri synagoga, et ecclesia Christi constanter pro canonico habito contenta censurare et vilipendere audeant. Imitantur nimirum *Lutherum* suum, qui in symposiacis sermonibus eundem librum parvi pendendo per iocum dixit, « Auctorem libri, qui Ecclesiastes inscribitur, sibi videri occreis et calcaribus destitutum, equitare tantum in soccis, quemadmodum ipse solet, cum adhuc esset in coenobio. » R. II. Ex allatis textibus nullum in auctore libri Ecclesiastis scepticismum evinci posse. Nam verba illa: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam, etc.* Ecclesiastes non profert ex sua, sed ex impiorum sententia, sensibus omnia metientium, prout ex contextu colligitur; vel si ex sua mente loquitur, tantum difficultatem rei, non impossibilitatem demonstrare voluit; ferme sicut in aliis Scripturae locis (4) modus interrogandi per particulam *quis* interdum solam rei difficultatem indicat, unde sensus erit iste: *Quis novit?* hoc est, *arduum ac difficile est cognoscere*, prout *Calmetus* (5) recte observat. Quid autem ipse Ecclesiastes senserit, claris verbis indicat (6) dicens: *Et revertatur pulvis in viam suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Quod vero alterum attinet textum: *Quanto plus laboraverit, etc.*, is loquitur de investigatione viarum Dei, et inscrutabili divinae providentiae ratione; in

(4) Jerem. c. 17, v. 9, psalm. 14, v. 1.

(5) Comment. in hunc locum Ecclesiastis.

(6) Cap. 12, v. 7.

quibus utique nostram profiteri debemus ignorantiam, cum apostolo (1) exclamantes: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!*

DICES III. Saltem illud non potest negari, in libro Ecclesiastis desiderari ordinem, nexumque sententiarum vix posse inveniri. R. Spiritus s. cum quid inspirat, non tenetur id exigere ad leges eloquentiae humanae. Saepe enim, et etiam in libro Ecclesiastae, quod deest dispositioni ac nexui sententiarum, compensatur diviniorebus quibusdam subitisque conversionibus, quas esse in bibliis admodum frequentes, res ipsa loquitur, et lustranti sacras literas facile patebit. Quamquam illud quoque notandum, quod iam olim *Ioannes de Pineda* (2) et nuper abbe *Nonnotte* (3), in eo sedulam operam posuerint, ut arcanam dispositionem capitum libri Ecclesiastae aperirent.

43. QUARES IV. *An non Ecclesiastes* (cap. 1, v. 4 et 9) *dicens: GENERATIO PRAETERIT, ET GENERATIO ADVENIT; TERRA AUTEM IN AETERNUM STAT. Item: QUID EST, QUOD FUIT? IPSUM QUOD FUTURUM EST satis aperte aeternitatem mundi indicet; prout impius COLLINUS* (4) *censet?*
2. *An non ex adverso vilam aeternam atque animae immortalitatem neget, dum* (cap. 3, v. 18 et 19) *ait: DIXI IN CORDE MEO DE FILIIS HOMINUM, UT PROBARET EOS DEUS, ET OSTENDERET, SIMILES ESSE BESTIIS. IDCIRCO U-*

(1) Ad Rom. c. 11, v. 33.

(2) In commentario in Ecclesiastem.

(3) In lexico philos. relig. art. *Ecclesiaste*.

(4) Discours sur la liberté de penser p. 248.

(5) Hoc sensu etiam in lib. Ecclesiastici c. 14, v. 18, et 19, dicitur: *Omnis caro sicut foenum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur,*

NUS EST INTERITUS HOMINIS ET IUMENTORUM, ET AEQUA UTRIVSQUE CONDITIO etc. Item (cap. 9, v. 5): *VIVENTES ENIM SCIUNT, SE ESSE MORITUROS; MORTUI VERO NIHIL NOVERUNT AMPLIUS, NEC HABENT ULTRA MERCEDEM. Si enim unus est interitus hominis et iumentorum; si mortui nihil noverunt amplius, nec ultra mercedem habent, quomodo animae immortalitas et vita aeterna evincetur?*

R. Ad primum. Ecclesiastes cit. loc. non loquitur de aeternitate mundi simpliciter tali, sed de duratione eius opposita durationi singulorum hominum, ita, ut sensus sit: hominum alii moriuntur, alii nascuntur, et in defunctorum locum succedunt (5); terra autem quoad suam massam considerata (6) stabilis, et quasi commune diversorium est venientium et abeuntium. Caeterum quod vox hebraica עולם *n'olam* (pro qua nostra vulgata Eccles. c. 1, v. 4, habet *in aeternum*) non raro *tempus definitum* significet, evidenter demonstrat *Ioseph Albo Ikkarim* tum aliis ex locis, tum ex hoc ipso Eccles. cap. 1, v. 10, idemque iam prius copiose ostenderat *Maimonides*.

At petes fortassis: quomodo verba illa (Eccles. c. 1, v. 4): *Terra autem, in aeternum stat*, conciliari possint cum illo evangelistarum (Matth. c. 24, v. 35; Luc. c. 21, v. 33; Marc. c. 13, v. 31) effato: *Coelum et terra transibunt?* R. Equidem terra in aeternum stat, hoc

et alia deiiciuntur; sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur.

(6) Dixi: *Terra quoad massam considerata*, non autem quoad ea, quibus est circumdata; hoc enim in sensu ipsa quoque iuges patitur vicissitudines; temporum tempestatumque immutationem, atque eam inversionem, quam procurant homines laboribus suis, aut quae efficitur bellis, aquis, etc.

est, ut paullo ante diximus, aliis et aliis hominum generationibus sibi succedentibus et transeuntibus, ipsa stabilis persistit. Evangelistae autem loquuntur de novissimis diebus, quibus coelum quoque et terra transibunt, id est, secundum praesentem suum statum peribunt, et mutantur.

R. Ad secundum. Textus ex cap. 3 et 9, desumpti ab Ecclesiaste proferuntur non ex sententia sua, utpote iam poenitentis, sed in persona impiorum animae immortalitatem negantium, prout in solutione 2 et 3 quaestionis supra fusius explicavimus. Possunt tamen memorati textus in sensu etiam vero et sano exponi, ita ut *Salomon* solum significare voluerit, unum esse interitum hominum et iumentorum quoad corpus, non vero quoad animam. Item: *Mortui nihil noverunt amplius*, hoc est, nihil quidquam eorum, quae hic in terris aguntur, de novo discere possunt, nisi eis reveletur. Vel per mortuos significatur conditio hominis mortui praecise secundum corpus, non vero secundum animam a corpore iam separatam spectati. Illud vero: *Non habent ultra mercedem*, verissimum est. Nam mortui bene operando non amplius mercedem promereri possunt, cum sint extra merendi statum, et non iam in via, sed in termino existant. Vide *Calmetum*, *Menochium*, aut alios interpretes in citatos Scripturae textus.

Dices: Ecclesiastes post illa verba: *Unus interitus est hominis et iumentorum, etc.* in eodem capite, v. 21, ait: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Ergo censuit unum esse interitum hominum et iumentorum tam quoad corpus, quam quoad animam, vel saltem dubitavit, an in

hoc aliquod inter hominem et bruta discrimen sit. R. Conc. ant. neg. cons. Nam verbis illis, *quis novit, etc.* Ecclesiastes non vult significare, nullum esse discrimen inter conditionem animae hominis, et animae bruti in morte; sed solum vult, difficile esse dignoscere hoc discrimen, si nimirum ex iis, quae extrinsecus apparent, iudicium quis ferre velit. Unde sensus est: *Quis novit?* hoc est, *arduum est cognoscere*, pauci dignoscere valent, quid in morte hominis et bruti accidat duobus his entibus, quae in vita et in morte adeo similia videntur. Atque haec responsio est etiam s. *Hieronymi*, qui in hunc locum: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, etc.*, ita commentatur: « Non inter pecudes et hominem secundum animae dignitatem nihil interesse contendit (Ecclesiastes), sed adiacendo, *Quis*, difficultatem rei voluit demonstrare. Pronomen enim *Quis*, in Scripturis sanctis non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur, ut Isai. c. 53, v. 8: *Generationem eius quis enarrabit?* Et in psalmo 40: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo et in monte sancto tuo*, et cetera quae sequuntur... Inter homines igitur et bestias haec sola est differentia, quod spiritus hominis ascendit in coelum, et spiritus iumentum descendit in terram, et cum carne dissolvitur; si tamen huius rei vir aliquis ecclesiasticus, et quasi dubiae rei certus assertor sit.» Quibus ultimis verbis s. *Hieronymus* dicere vult, hoc discrimen inter spiritum hominis et spiritum iumentum difficulter ab aliquo agnosci, nisi sit vir verae fidei ac sapientiae lumine praeditus (1).

(1) Vide hac de re *Menochium* comment. in Ecclesiastae c. 3, v. 21 et 22; Item c. 2, v. 24, usque ad c. 3.

Ceterum, quod Ecclesiastes ex sententia sua in libro suo loquens de animae nostrae immortalitate non dubitaverit, patet ex cap. 3, v. 17, ubi ait: *Et dixi in corde meo: iustum et impium iudicabit Deus.* Item ex cap. 12, v. 7, ubi expresse inquit: « Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. *Ac versu 14:* Cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. »

44. QUÆRES V. *Quomodo verba illa* (Eccles. c. 3, v. 1): OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUIS SPATIIS TRANSEUNT UNIVERSA SUB SOLE, *conci- lientur cum subsequenti vers. 14,* ubi OMNIA OPERA, QUAE FECIT DEUS, PERSEVERARE IN PERPETUUM *dicuntur?* R. Prior textus agit de hominum actionibus, et negotiis suo tempore finiendis; posterior de rebus ipsis, stabiliter in sua specie permanentibus.

45. QUÆRES VI. *Quomodo illud* (Eccles. c. 7, v. 5): COR SAPIENTIIUM, UBI TRISTITIA EST, ET COR STULTORUM, UBI LAETITIA, *conci- lietur cum illo Apostoli* (ad Philipp. cap. 4, v. 4): GAUDETE IN DOMINO SEMPER? R. In primo textu reprehenditur laetitia immoderata et profana; in altero textu laudatur laetitia seu hilaritas sancta et spiritualis. Unde primi textus sensus est: cor sapientium est, ubi severitas vultus, et gravitas morum, non ubi levitas et proclivitas ad risum. In altero autem textu sensus est: Servite Domino in sancta hilaritate et laetitia cordis: quia hilarem datorem diligit Deus; ut alibi (1) dicitur.

46. QUÆRES VII. *Quomodo concordet illud* (Eccles. c. 7, v. 17):

(1) II. Cor. c. 9, v. 7.

NOLI ESSE IUSTUS MULTUM, *cum illo* (Apoc. c. ult. v. 11): QUI IUSTUS EST, IUSTIFICETUR ADHUC, ET QUI IN SORDIBUS EST, SORDESCAT ADHUC? R. Primi textus sensus est: *Noli esse iustus multum*, hoc est, nimium, vindicando nimirum tuam vel aliorum iustorum innocentiam, ac ex- postulando cum d. providentia, quae permittit iustum perire temporaliter, et impium vivere longo tempore. Hic sensus patet ex contextu, ut apud *Menochium*, aliosque interpretes videre potes. Sensus autem alterius textus ex Apocalypsi desumpti est: Quisque pius ac iustus accumulare studeat sua merita, sicut impii accumulunt demerita. Hoc enim pacto et impiorum supplicia, et iustorum praemia tandem ad plenum suum cumulum devenient. Ita exponunt *Cornel. a Lap., Tirinus, Alcazar.*

47. QUÆRES VIII. *Quomodo Ecclesiastes* (cap. 7, v. 29) *dicens:* VIRUM (sapientem) DE MILLE UNUM REPERI: MULIEREM EX OMNIBUS NON INVENI, *conci- liari possit cum auctore libri Proverb.* (cap. ult. v. 10 et seq.) *laudante MULIEREM FORTEM, licet raro eam dari fateatur?* R. Illa Ecclesiastis locutio est hyperbole, qua ostendit, paucos esse viros sapientes et perfectos; foeminas vero prudentes paucissimas et vix ullas, propter sexus imbecillitatem. Ceterum Ecclesiastes, id est, *Salomon* non absolute negat, ullam dari foeminam sapientem; sed tantum ait, se nullam *invenisse*, vultque, ut *s. Hieronymus* in hunc locum observat, dicere: *Omnes enim* (mulieres) *me ad luxuriam, et non ad virtutem deduxerunt.* Forte *Salomon* alludit ad 700 uxores, et 300 concubinas suas (2), quas lepide perstringit.

(2) Vide III. Reg. c. 11, v. 5.

48. QUÆRES IX. *Quomodo Ecclesiastes* (cap. 9, v. 1) *dicens:* NESCIT HOMO, UTRUM AMORE VEL ODI DIGNUS SIT, *concordet cum d. Paulo* (II. Timoth. c. 4, v. 7 et 8) *de se ipso asseverante:* BONUM CERTAMEN CERTAVI... IN RELIQUO REPOSITA EST MIHI CORONA IUSTITIAE? R. Quamvis prorsus certam et infallibilem scientiam de statu gratiae, vel praedestinatione sua homo (seclusa revelatione) in terris degens non habeat (1): coniecturalem tamen de his notitiam ex interno spei robore et virtutum exercitiis, quae anxietatem excludat, obtinere potest:

SECTIO IV.

DE CANTICO CANTICORUM

Libellus hic inscribitur *Canticum canticorum*, et non *Cantica canticorum*, ut aliqui perperam illud citare solent. Nam in hebraeo est לשיר השירים *scir hascirim* in singulari, ut etiam apud graecos ἄσμα ἡρώδων. Dicitur autem *Canticum canticorum* ad denotandam eiusdem excellentiam, ita ut sensus sit: Eximium prorsus, et omnium excellentissimum canticum. Solent enim hebraei rem praestantissimam exprimere geminando substantivum hoc modo: *Deus deorum, Rex regum, Sanctum sanctorum, Mons montium.* Itaque similiter hoc appellatur *Canticum canticorum*, quia est Canticum praestantissimum et suavissimum, et longe superat non tantum omnia cantica *Moysis, Deborahae*, etc., ut explicat *Origenes*, sed et ipsius *Salomonis*, qui composuit carmina quinque et mille (7),

(1) Vide Tridentinum, sess. 6, can. 9.
(2) L. de immortalitate, et lib. adversus Demetrianum.
(3) Comment. in Psalm. 149.

prout docent *Cyprianus* (2), *Augustinus* (3), *Leo* (4), *Gregorius* (5), *Bernardus* (6), quos hac in re sequuntur alii doctores communiter. Itaque Ecclesiastes loc. cit. tantum negat, nos (nisi Deus id nobis revelet) posse habere absolutam et prorsus infallibilem scientiam de nostro animae statu, vel praedestinatione: *s. Paulus* autem vel solum asserit, se habere de sua praedestinatione firmam spem et certitudinem minus stricte talem; vel de ea specialem a Deo revelationem accepit.

estque auctor natus ipsius *Cantici canticorum*, prout patet ex titulo in nostra vulgata his verbis extante: *Canticum canticorum Salomonis, etc.* Neque obstat quod in hebraeo sit לשלמה *Lisclomo, ipsi Salomoni*, quasi ipsi potius inscriptum sit opus et dicatum, quam ab ipso compositum. Hebraei enim, ut graeci, saepe dativo utuntur pro genitivo, praesertim cum rem alicui propriam esse significant; unde dicunt, villa, quae est mihi, id est, quae est mea; liber, qui est illi, id est, qui est illius; sic in titulis psalmodum, pro *psalmis Davidis* Septuag. vertunt τῷ Δαυιδ, id est, *Davidi* in dativo, quia *Davidi* inspirati et dictati sunt psalmi a Deo, aequae ac *Canticum hoc Salomoni.* Hinc et arabice hic libellus inscribitur: *Carminum carminum, sive laus laudum Salomoni sapienti*, hoc est, cuius

(4) Serm. 8 de Epiphania.
(5) L. 6 registri c. 187.
(6) Serm. 69.
(7) III. Reg. c. 4, v. 52.